

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**De historiae Iesu tenendae tradendaeque necessitate ac
modo**

**Fickelschers Erben und Stranckmann Fickelschers Erben und
Stranckmann**

Ienae, MDCCLXXXIII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9873

4^a

SOLEMNEM
NATI CHRISTI
MEMORIAM
PIE CELEBRANDAM
INDICIT
ACADEMIA IENENSIS.




De historiae Iesu tenendae tradendaeque necessitate ac modo.

Sectio 1.

aut Joh. Christ. Döderlein

I E N A E
EX OFFIC. FEL. FICKELSCHERR. HAERED. ET STRANCKMANNI





DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-
VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.
CIVIBVS

Si nihil praestantius est generi humano datum, quam religio Christiana, qua adempta omnis veritatis divinae ac virtutis cultus et felicitatis spes certa deficit; et si natura ipsa sensu quodam suavitatis imbuit animos nostros, cum virorum, qui magnitudine rerum gestarum et meritis nobilitantur, historias persequimur: debet profecto nobis, CIVES OPTIMI, iucundissima esse non tantum temporis illius, quo Iesus, salutis humanae autor et stator, interesse rebus terrestribus coepit, verum etiam universae vitae eius, tot tantisque factis clarissimae, pia atque assidua recordatio. Etenim cum videmus ingenium humanum ab intuitu et admiratione rerum, feliciter et cum virtutis quadam excellentia gestarum, repente converti ad historiam illorum, qui eas patrarunt, atque cupide quaerere, qua patria, quibus



quibus parentibus nati, quam aetate, quibus magisteriis vixerint et similia, et, si quod ex hoc genere resciverint, non sine magna animi voluptate audire: quomodo non iusta sit hausta e notitiis de vita Christi, qui unus omnes virtute et meritis superat, certis et accuratis delectatio? In qua si nihil aliud esset, quod probari posset, animus certe deberet laudari gratus adversus eum, a quo optima felicitatis praecepta ei promissiones: amplissimas et virtutis exemplum praestantissimum accepimus. Est enim non tantum grati animi haud vana significatio in recordatione viri, qui post fata superstes vivit in mente, verum etiam quaedam beneficiorum remuneratio, brevem hominis vitam memoria quam diutissimam efficere. Sed cum alii in historiis Iesu unice versantur pulcrisque narrationibus malunt plebis aures delinire, quam veritatis, quam docuit, excellentia animum collustrare, multisque ex causis, sed vanis et turpibus, universam religionem Christianam in pauca quaedam historiarum capita contrahunt, quasi Christum satis noscant, qui vitae, quam decurrit, itinera norint; rursus alios nostra quidem aetate audimus, qui in his notitiis nihil praeter voluptatem aliquam, inanem forte ac vilem et indignam homine Christiano, inesse arbitrantur ac, dum in laudanda veritatis et disciplinae necessitate ac elegantia solite occupantur, quidquid de nativitate Iesu, ac reliquis vitae humilis conversionibus traditur in Evangeliiis, id non modo citra ullum rei Christianae detrimentum ex animis et manibus removeri posse sed etiam propter insignem utilitatem arceri debere contendunt. In hac ingeniorum discordia, quae facile turbare posset animos pios et ab utraque parte non caret periculo, opportunum videtur brevi commentatione *studium historiae Christi tueri et, quibusnam finibus ac cautionibus regi oporteat, exponere.*

Atque non ignoramus; sapientiam Christianam et capita fidei ac morum posse etiam, semotis historiis, apte doceri et pie excipi ab animis Christianis neque exquisitis e vita Christi historiis opus esse vel ad intelligenda eius beneficia, vel ad sensus divinos, vel ad salutis fructum. Siquidem hoc

A 2.

est

est, Christum cognoscere, scire, quid attulerit generi humano, quid poscat, unde peccati gratiam petas, quanta bona, quibusnam conditionibus promittat: non historiam eius recensere et vitae decursum contueri. Neque tamen propterea audiendus est, si quis has res omnes ut otiosas et viles contemnat ac repudiet. Carere narrationibus Evangelistarum multis potest religio, nostra praesertim aetate: sed aegre omnibus carebit. Quodsi quidem accusanda in iis tenendis et explicandis vanitas ac superstitio sit: ea profecto redar, qui debet in illis, qui defixi in historiis vitam Iesu studiose depingunt, ac velut in tabula stirpem, vultum, lineamenta, parentum paupertatem, miraculorum varietatem, dolorum et passionum modum, cruorem, mortem eius subtiliter et curiose exponunt, sed quanta virtute eminuerit, quae traderit, quo consilio vixerit, leviter attingunt ac virtutis, quae eminebat, excellentiam per negligentiam obvelant. Multo autem magis temeritas ac inscitia accusanda erit illorum, qui omnes e vita Christi traditiones cupide arripiunt atque pietatis et religionis nutrimenta e singulis promiscue christianae plebi offerunt, et in sanctissimo ipsius religionis argumento recenseri volunt originem Iesu regiam, nativitatem Bethlehemi factam, magorum adorationem, et reliqua anecdota, quae suis maxime temporibus et lectoribus grata ac utilia composuit Evangelistarum diligentia et veritatis studium, feriori aevo vix profutura. Verum ea vanitas ac superstitio non potest agnosci in iis, qui proposita vitae Christi imagine *fidem exercere et persuaderi de praeslantia et veritate religionis*, et *animum ad sensum ac studia virtutis acuere velint*, in quo est historiae Christi ut consilium salubre, ita fructus minime dubius et praestantissimus.

Primum si scripturas audiamus, summa religionis Christi est in fide, quae ab ipso Paulo dicitur *ελεγχος των μη βλεπομενων* Ebr. 11, 1. Ea quamvis praecipue adhaerescit promissionibus rerum futurarum et bonorum invisibilium atque in hoc quasi fundo agitur, tamen per historias etiam decurrit atque in his tirocinia ponit et documenta dat. Nam si in religione

gione Christiana, ut in ceteris disciplinis, ab elementis fit progressus ad altiora ac difficiliora: frequentibus in historia credenda exercitiis animus praeparatur ad graviora fidei exempla. Facilius enim historia creditur, in qua est rerum gestarum certitudo et persuasio, alios vidisse, quae nos minime vidimus: difficilius promissioni fides habetur, quae nobis res minime adspectabiles offert. Ac vide, quantam fidei historiarum materiam suppeditent scriptores sacri, non modo in Evangelis, quanquam his maxime cautum est, ne vanis traditionibus et incertis, ac fraudibus et figmentis curiosorum hominum, qui narrationes de vita Iesu compilarent, decepta aetas Apostolica et turbata veritatem amitteret; sed in reliquis quoque sive orationibus sive epistolis. Paulus quidem fidem mortis et resurrectionis Christi, quae sunt primaria vitae ejus capita, graviter commendat 1 Cor. 15, 1. sq. ac cum pietate salute Christiana coniungit Rom. 10, 9. 1 Thess. 4, 14. et notitias vitae Christi humilis laudat atque tanquam caput doctrinae suae (κατα το εναγγελιον μου) commendat 1 Tim. 2, 8. tum nativitatis (ἐκ σπέρματος Δαβὶδ) tum mortis et resurrectionis, (ἐξηγερμένον ἐκ νεκρῶν) v. et 2 Cor. 8, 9. Rom. 1, 3. 4. Nec si nulla historiae utilitas existeret, ἀκριβεία traditionis opus fuit, qua Lucas et reliqui rerum Iesu gestarum scriptores iueri fidem suam aliorumque fabulas refellere conati sunt.

Quid vero? nonne doctrinae dignitas sanctitasque disciplinae Christi, in qua purissimam rationis institutionem tradi videmus, intelligi cum admiratione et commendari graviter ac sensum animumque occupare possit, etiamsi nihil de autore, de naturis, fati et factis eius audiverit unquam? possit forsitan: sed non amat gratus animus eas angustias, ut praeter veritatem beneficii et magnitudinem nihil sciat, ignoretque et autorem et modum, quibus neglectis saepe ipsa beneficia vilescent, quibus autem rite cognitis sensus gratitudinis mirifice acuuntur et impelluntur. Iam ea est inter historiam Iesu et veritatem christianam combinatio, ut altera alterius adiunctione adiuvetur: haec quidem sine illa saepius obscura fiat et vim amittat, illa autem, hac seiuncta, saepe otiosa reperia-

tur fructuque careat. Tolle historiam Christi et nulla iam nec promissionum certitudo nec institutorum magna restabit commendatio. Fides, ubi ab historia declinat, corrui, rursus ubi ea sustinetur, immobilis perdurabit. Quae sunt paulo luculentius exponenda.

In reliquis quidem magisteriis non obscurum est, quantum vim habeat perspecta vitae morumque ratio eorum, qui doctores ac duces sese profitentur, sive ad alliciendum, sive ad persuadendum. Saepe qui magistri amore capitur, citius disciplinam eius, utut molestam, adamabit et sequetur: nam ut quisque de doctore sentit et opinatur, ita erga eum adficatur atque ad eundem sese lubentius adiungit. Ac multum prodest, in hanc causam intueri Christum et, quonam sit animo erga homines adfectus, intelligere, quanta pietate quanta benignitate et clementia erga quoscunque, etiam adversarios et hostes, usus fuerit, addiscere, ut mirari virtutem raram et facta eximia discamus, unde animus ad obsequium facile declinat. Sed ad haec praeiudicia nova persuasio accedit a miraculis, in quibus enarrandis copiose versatur scriptorum sacrorum diligentia. In his sive ea spectes, quorum ipse auctor laudatur et perfectior, v. e. morborum sanationes, sive ea teneas, quibus vitae ejus conversiones insignire Deus voluit, e. c. nativitatem ἐν πνεύματι ἁγίῳ, resurrectionem post triduum mortis; utrumque genus historia tradit, fidesque amplectitur, ac res ipsa docet, maxime valere ad tuendam Iesu Christi auctoritatem, id vero est, ad religionis Christianae decus et certitudinem. Non sumus quidem ii, qui velimus vel necessitatem miraculorum adstruere, vel iis unice confirmare atque commendare fidem Christianorum; persuademur enim auctoritatem Iesu divinam aliunde etiam cognosci et in summa doctrinae elegantissimum atque efficacissimum argumentum posse instrui: sed, cum veritas numero argumentorum, velut arbor pluribus defixa radicibus, magis adversus omnem iniuriam ac dubitationem vincat ac confirmetur, et rude nec philosophandi consuetudine excultum ingenium humanum haud facile percunctando elicere disciplinae, tradirae
in

in N. T. praestantiam valeat, non debet contemni publica et sollemnis significatio, qua Deus noluit personam doctrinamque Iesu Christi carere. Ea si spectatores tantum virtutis tantae Iudaeos potuit commovere et debuit; cur igitur scriptis consignata atque ad eos propagata est, qui a theatro tantarum rerum procul abessent? si ad rudes homines et sensum magis quam rationis usu rectos aditum religioni facere: cur in nostra hominum, quae est (haud paucorum, in) fantia non fideatur consentaneum, eisdem historiis, quarum nec memoria obsolevit nec vis et efficacia, divinam Christianae disciplinae originem persuadere? Quidni igitur in spectatorum comitatu iam quoque ad litora Iordanis admiremur vocem de coelo delapsam Matth. 3, iam in morte sancto, quem Petrus laudat 2 Ep. 1, 18. cum tribus Apostolis intueamur Iesum, divino splendore illustratum, Matth. 17. iam cum populo laetemur de virtute Iesu, dum morbis et tempestatibus ipsique morti imperat; iam inter testes novae et beatissimae vitae, in quam rediit, versemur? in quibus universis indubia est ac evidens significatio, Deum fuisse, qui hanc doctrinam sua probaverit autoritate. Non enim aliam ob causam nec consilio alio arbitramur hanc historiae Christi partem aut oppugnari adversariorum calumniis, aut depravari ac detorqueri callidis nonnullorum artibus, nisi hoc, ut quod illi cupide optant, ipsa religio, his praesidiis defensa, iis prostratis deferatur.

Praestantissimam Evangelii partem agnoscimus in promissionibus beneficiorum, quorum amplitudine explere humanam indigentiam voluit liberalitas divina. Sed in omni beneficio duo cum primis spectantur, alterum ut pro modo et magnitudine aestimetur, alterum ut de veritate beneficii constet, quorum illud maxime affectum gratum erga collatorem excitat et acuit, hoc per spem et fiduciam ac per sensum felicitatis mentem ad quietem et tranquillitatem componit. Virumque igitur iudicium de insignibus Dei beneficiis plurimum adiuva-
tur notitiis de Iesu eiusque actionibus, quibus nobis tantam felicitatem meruit. Quare videmus, cum descriptione et spe bonorum Evangelii haud raro coniungi laudem vitae, passio-
nisve



nisve Christi, atque ex hoc velut fonte tantam felicitatem ad homines derivari. Parta nobis est peccatorum venia. En beneficium! sed, ut modum ac magnitudinem aestimes, additur historia *δια του αιματος του χριστου, του υιου του θεου* Rom. 3, 25. Conceditur incolumitas peccatoribus, qua se satis beatos sciunt: verum certam de tanto benignitatis divinae fructu persuasionem Apostolus desumit e conditione Christi et insignibus vitae eius conversionibus Rom. 8, 34. Restituitur mortali hominum generi resurrectionis spes, solatii plenissima: verum illa rursus confirmatur ex historia Christi novoque, in quem rediit, statu. 1 Cor. 15, 17. 1 Thess. 4, 14. Haec quidem et similia loca (non enim attinet singula congerere) demonstrant, quantum oporteat et doctores Evangelii combinatione promissionis Evangelii et factorum Christi declarare ipsam veritatem, et animum hominis Christiani talibus notitiis imbutum esse, quae si teneantur, iudicium de pretio beneficiorum vehementer adaugent animumque totum Christo devinciunt. Quamvis enim per se satis magnam reperiās clementiam in tribuendis bonis, ubi tenueris, miserum te, si careas, felicem, si obtineas: novum tamen pondus accedit, si scias, partum tibi esse ab amico, nec sine molestia et dolore auctoris, nec ullo tuo merito: quae est laus beneficiorum Christi, si historia audiatur. Nemo pius intueri humilitatem Iesu, nemo spectare tot doloribus cruciatum, nemo moribundi suspiria audire, aut videre sanctissimum corpus per atrocissimos cruciatus praemature fatis defunctum possit, quin emtis *αιματι χριστου* bonis hac gratia magnum pretium adiungi intelligat. Multo autem maior utilitas historiae Christi est in spe implendae promissionis certa atque inviolabili. Etenim non temere speratur salus, quae rebus vere gestis innititur: neque conficta aut dubia sunt beneficia, quae e fonte vitae Christi promanant. In quo, praeter alia documenta *πολυποικιλου σοφιας*, hoc quoque non posthaberi debet, quod Deus spem salutis tam certam et inconcussam esse voluit, quam est persuasio de vita et actionibus Christi. Hanc igitur qui convellere

lere aut non conservare et promovere suadent, vereor, ut ab ipsa fide fundamenta removeant.

Nec minus utiles ad sensus religionis acuendos et regunda virtutis studia reperientur notitiae accuratae actionum Christi et memoriae narrationum, quibus vitam eius, agendique modum et animi sanctitatem Evangelistae describunt. Qui fructus et amplissimus est et praestantissimus et certissimus, non modo propter communem illam exemplorum illustriam vim, quorum intuitu et admiratione facile capitur mens humana atque ad imitationem incitatur et rapitur, sed etiam propter efficaciam longe potentiorum, ortam a castitate et excellentia virtutis ipsiusque personae dignitate et praestantia. Itaque non parum proderit, Iesum per univ[er]sum vitae humilis et sanctissimae studium quasi intuendo persequi ac sensum, quibus ipse animatus fuit atque actionum omnium quasi directoris usus, admirari altitudinem, honestatem, pulchritudinem, Dei, religionis, fidei amorem; rerum terrestrium et fluxarum, quarum fruendarum et ius esset et copia, contemptum: officii servandi studia et religionem; in tolerandis iniuriis facilitatem; in honore vero et durabili quaerendo et similia. Hac enim via discemus, miseriam non esse a paupertate, ab humilitate fortis, a genere ignobili, a contumeliis per iniuriam illatis, ab obsequio erga parentes et magistratus, a morte praematura, nec felicitatem contingere habendis utendisque rebus corporeis, voluptatibus, divitiis molique vitae genere, sed esse rebus certis, a pietate, ab animo recti conscio, a procuratione salutis humanae, a spe felicitatis post mortem. Neque facilior et efficacior tum in hoc genere, tum in omni virtutis disciplina exercitatio adhiberi potest, quam vitae Christi, hoc est, virtutis ipsius, in his terris commorantis, aut contemplatio, ut ipsimet adficiamur et excitemur, aut commemoratio ac descriptio iusta, quo sensibus piis et divinis reliquos imbuamus, praesertim in ea conditione et aetate, cum nondum per multos annos et cupiditatum pravarum vim in eis recipiendis impediuntur. Profecto, si Christiani hominis officium sanctissimum et decus summum est, cum magistri imaginem, mores, animum, studia per omnem vitam refert et περιπατει, καὶ ὡς αὐτὸς περιπατῆς

B₁

1 Ioh.



1 Ioh. 2, 6. id aut frustra statuitur, si historiam deferat, aut animum ipsum ad contemplandum summae virtutis simulacrum adducit ac impellit.

Evicimus utilitatem ac necessitatem historiae Christi: iam ad ea, quae in *contrariam* partem adducuntur, aliquid respondendum erit. Nam qui removeri et omitti eam cupiunt *primum* obmovent consilium consignatae ab Evangelistis historiae, ut Iudaeos adducerent ad religionem christianam, non, ut fidei confessoribus ea credenda praescriberent; *deinde* Pauli decretum 2 Cor. 5, 16. quo negat se *ἐτι γινώσκειν κατὰ σαρκὰ Χριστόν* et (sic exponunt formulam obscuriorem) Iesu Christi terrestria magni aestimare; *tertio* pericula, ne per male sedulam nonnullorum diligentiam, historiis expositis, religionis capita, multo graviora, vilipendantur atque negligentius tractentur. Haec itaque breviter sunt excutienda.

Nemo igitur eruditus neget, traditiones de vita Iesu eo consilio fuisse compositas, ut Iudaei, qui tum maxime refragarentur rei Christianae et *primum* adducendi fuerunt ad Ecclesiam, nescirent, qualis inter populares suos vixerit Iesus eumque ut Messiam revererentur, in cuius vita, quidquid de Messiae patria, natalibus, virtute ac fatis subeundis per prophetas praenuntiatum aut reperirent aut viderentur reperisse, id omne expressum cognosceretur. Etenim et is saepe delectus sit in laudandis virtutibus Iesu, ut quae cum spe et opinione Iudaica de Messia consentirent, studiose commemorarentur, v. c. genus regium; et Iohannes diserte hoc consilium libri sui proficitur Cap. 20, 31. et ipsa methodus, accommodandi V. T. oracula fatis et conversionibus vitae Christi, praesertim a quod Matthaeum, Iudaeorum ingeniis et opinionibus aptior videtur, quam Christianis. Quam in causam plures et, ut solet, exquisitas observationes nuper exposuit SEMLERVS, theologus praestantissimus, in *praefatione* ad TOWNSONI de IV Evangeliiis librum. Hoc igitur consilium Matthaei et Iohannis (nam Lucas homini Christiano scripsit), qui tempore suo his traditionibus vellent consulere, non posteritati, et Iudaeos allicere ad cultum Christianum, nec universitati Christianae easdem praescribere, hoc igitur consilium non potuit non multa decerpere ex historia Christi et
stu-

studiose tractare, Iudaeorum gratia. Quid igitur? Anne omnia amputare fas est, quia quaedam a nostro ingenio sunt alieniora neque nobis gravia atque utilia videntur, nec ad persuadendum de dignitate Messiana, nec ad sensus pios, e quo genere sunt genealogiae, magorum cultus, circumcisio et similia? Atque nos Apostolorum pietatem, quae ex actis Christi ea delegit, quae pro lectorum suorum ingenio iudicarent efficacia ad convincendum atque perutilia, omissis reliquis, imitabimur, et ea conservabimus atque commendabimus, in quibus aut fidei aut pietatis nutrimenta latent: nisi forte iustum videatur abdicare universum N. T. corpus, quoniam singulis libris pleraque immisceri pro consilio autorum constat, quae sunt a nostra aetate, nedum a religione, aliena. Sed haec in altera dissertationis parte dilucidanda sunt.

At enim Paulus imitandus est, qui *χρῖστον κατὰ σὰρκα* penitus abdicavit ac capita vitae Iesu humilis noluit adhuc repetere. *Εἰ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σὰρκα χρῖστον, ἀλλὰ νυν οὐκ ἐτι γινώσκομεν.* 2 Cor. 5, 16. Ac nescimus an magnum adversus hoc argumentum praeiudicium sit in loci ipsius obscuritate et ambiguitate interpretationis, quam diversae interpretum sententiae satis arguunt et indicant. Nam in diversa trahuntur tum cum quaeritur, formula *κατὰ σὰρκα* quomodo iungenda sit? utrum sic, ut Christum, quatenus is est *σαρξ*, neget a se agnosci: an, ut Paulus conditionem describat, in qua olim cognoverit Iesum, nunc autem cognoscere vel colere desierit, tum quomodo ipsa formula *κατὰ σὰρκα* intelligi debeat. Qui igitur Paulum ita intelligunt, ut neget se *γινώσκειν* iam *χρῖστον κατὰ σὰρκα*, aut de humana eius natura interpretantur atque putant, eam depositam vel ab humana natura absorptam non amplius existere, fere ut ORIGENES a), quo inclinasse Servetus et fanatici alii CALVINUS autor est in *commentariis ad h. l.* aut corpus humanum, infirmitatibus et morti obnoxium *σὰρκα* dici putant, a quo iam liberum Christum Paulus fateretur

B 2

ut

a) Homil. XV. in Ierem. c. 6. *Καὶ τὴν ὁ σὰρκα, ὅτι, ὅν ἐφορῆσαι, ἀνθρώπος ἢ· ἀλλ' εἰ καὶ ἦν ἀνθρώπος, ἀλλὰ νυν οὐδὲν ἔστιν ἀνθρώπος· εἰ γὰρ ἐγινώκειν Χρῖστον κατὰ σὰρκα, ἀλλὰ νυν οὐκ ἐτι γινώσκομεν, φησὶ ὁ ἀποστόλος.* T. III. opp. p. 226. Ruai. In aliis tamen locis alium sensum, ut sit in accommodatione, quam vocant, sequitur,

ut est apud CHRYSOSTOMVM b), THEODORETVM c) ac AUGUSTINVM d); aut vitam eius humilem, ita ut defenderet, se Christum inter mortales conversatum novisse quidem, verum ex ea re non putare sibi quaerendam esse laudem, ut HYPERRIVS e) vult, aut de rebus sensibilibus dici autumant et externa dignitate, qualem Iudaica ingenia revererentur et aestimarent, genus, natales, circumcisionem et similia, praeunte CALVINO f) quem

b) *Commentar. ad h. l.* Τη οὖν; ἔπε μοι, τὴν σὰρκα ἀπέθετο καὶ γὰρ οὐκ ἐστὶ μετατοῦ σωματός; ἀπαγέ' καὶ γὰρ καὶ ἡνὲν σαρκί' ἐστιν. (laudat Act. I, II.) — Χρῖστου τὸ κατὰ σὰρκα τὸ ἐν τοῖς παθήμασι μὴ τῆς φύσεως, οἷον ἐν τῷ διψῆν, ἐν τῷ πίνειν, ἐν τῷ κοπιᾶν — τὸ δὲ μὴ κατὰ σὰρκα τὸ καὶ τούτων ἀπὸλλασθῆναι λοιπὸν. Ex hoc fonte pro more hausit THEOPHYLACTVS ad h. l. quocum scholia, quae Oecumenii nomen praeferunt, ita consentiunt, ut unum vtriusque libri autorem facile agnoscas.

c) THEODORETVS sic commentatur: λελοθά τῷ δεσποτικῷ θανάτῳ μεμαθηκότες τοὶ θνητοὶ, οὐδεὶς λοιπὸν ἀνθρώπων θνητὸν ἐπιστάμεθα. Εἰ γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ δεσπότης Χρῖστος πάθεται καὶ τὸ σῶμα, ἀλλὰ μετὰ τὸ πάθος ἀφάρτοι τούτῳ πεποιήκει καὶ ἀθάνατον.

d) *Adv. Faustum L. XI. T. VIII. Opp. ed. Antw. 1702.*

e) *Commentar. ad h. l.* Colligit Apostolus nunc, se postquam omnia debeat uni Christo non amplius curare hominum perversa iudicia atque omnium quidem minime eorum qui secundum carnem vivunt. Et istud (etiam si cognoverimus Christum etc.) per occasionem et obiter quasi affectu aliquo permotus addit ad evitendam calumniam adversariorum, qui iactabant se novisse Deum de facie, Paulum vero nequaquam, et eo nomine elevabant eius auctoritatem. At igitur se quoque novisse cum, tamen si ex ea re non putet sibi quaerendam laudem et gloriam. Consimiliter fere Ven. ROSENVLLER in Schol. ad h. l. nisi quod cum conditione exponit: et si cognovissemus etc.

f) ad h. l. Nosse hic accipitur pro censere, quasi diceret, nos secundum externam larvam non iudicamus, ut is habeatur praestantissimus, qui talis apparet in speciem. Sub carnis nomine comprehendit externas omnes dotes, quas homines solent in pretio habere. Quod additur: quin etiam si Christum novimus etc. sic exponit: Si Christus ad tempus versatus fuerit in hoc mundo et agnitus hominibus, in his, quae spectant ad conditionem huius vitae, nunc alio modo cognoscendus est, nempe spiritaliter, ut nihil mundanum de ipso cogitemus. — Non de corporis substantia loquitur (Paulus) sed de externa specie, neque dicit, non amplius cognosci a nobis carnem in Christo, sed inde Christum censi negat. Similiter SHLICHTINGVS ad h. l. qui σὰρκα dicit: circumcisionem et externam dignitatem; atque e nostra MOSCHE in Bibel-ferund,

quem plurimi sequuntur, Contra qui vocem *κατα σαρκ* ad Paulum referunt, pauci quidem reperiuntur, in quibus ARETIVM g) et qui eo longe superior est, ERASMV h) ac fere SEMLERVM laudare iuvat. Satis diximus de diffidiis interpretum, e quibus vixte expeditas. Atque adversus illam rationem, quae Pauli auctoritate contemptum historiae Christi tueri haud veretur atque ignorari vult Christum *κατα σαρκ*, parentes, patriam, vitae conversationem, factorum vicissitudines, neque alium nisi *κατα πνευμα*, spiritum eius, doctrinam ac disciplinam, tradi et cognosci, ipsum Pauli exemplum valet, quem supra vicimus atque aliunde constat de his quoque rebus praecepisse Gal. 4, 4. 1 Cor. 15, 1 sq Rom. 1, 2. 3. neque probabile est a se ipso desciscere. Verum multo etiam maiora huic interpretationi refragantur. Etenim res et consilium Apostoli quomodo eam admittat, non video. Est autem clarum, virum sanctissimum docere velle, quam late pateat vis mortis Christi, qua omnes sibi devinxerit (v. 15.) et in novum imperium, abrogata vetere oeconomia, coegerit (v. 17. 18.) Sed huic demonstrationi minime apta videtur interpretatio, quam diximus: nos quidem ipsi olim magni fecimus Iesu natales, genealogiam, et alia de eo anecdota: iam autem minime curamus illam vanitatem et vilitatem historiarum: itaque Christiani nominis confessor nova est creatura. Abstrusa profecto, nedum lepida conclusio! Itane Apostolum ratiocinari autumem? Non persuadeor. Deinde non sinunt vera interpretandi praecepta, simili in una oratione dictioni diversam vim tribuere, aliterque explicare illud, *ὅθεν αὐτὸν γινώσκουμεν κατὰ σὰρκα*,

B 3

aliter

freund, T. VIII. p. 65. v. et SEHLERVS in *Paraphras.* qui *Primasium* huius expositionis fautorem laudat; KOPPIVS et al.

g) *Comm. ad h. l.* Equidem olim carnaliter agnovi Christum, eo modo, quo mundus agnoscit, ut impium, morte dignum: iam autem inde a conversione (απο του νυν) longe aliter agnosco.

h) Obscurior est ERASMI sententia, neque tamen non, quid de formula *γινώσκων κατὰ σὰρκα* fenserit, apparet, dum *παρὰ σὰρκα*: Ex his rebus (animo nostra) aestimandi sumus, non ex carnis propinquitate. Quin et ipsi licet de genere Israelitico gloriari possimus, tamen posteaquam Christo sumus initiati, neminem novimus secundum carnem. Hos cognatos dicimus, qui fidei consortio nobis copulantur.



aliter hoc, *Χριστὸν κατὰ σὰρκα ἐκεῖ γινώσκωμεν*. Quae si teneantur, sponte cadit cum reliquorum interpretatio, quae vel de intuitu corporis Christi in his terris, vel de humana natura affectionibusque humanis Iesu *τὴν σὰρκα* exponunt, eam enim in reliquis hominibus agnoscere saltim debuit: tum illorum, qui omnem historiam damnari contendunt. Hi etiam si caveant ab hoc peccato, dum explicant: neminem iam propter externa instituta, natales, circumcisionem et alia Iudaismi praerogativa aestimamus; adeoque nec in Christo talia iam, ut olim, probamus: tamen vix declarabunt, quomodo Apostolus eas res olim in Iesu magni habuisse dicat; nec etiam, quod praecipuum videtur, idoneis rationibus *γινώσκειν* in significatione *aestimandi*, *approbandi*, accipitur, valde ambigua et ab illis locis, quae proferunt v. c. Pf. 1, 6. aliena. Optimum autem interpretem habemus Paulum, manifeste *τοὺς γινώσκοντας τὸν Χριστὸν familiares*, Christi, *abseclas* et confessorēs religionis novae, *τοὺς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* v. 17. dicentem, cui consonat Insus loquendi apud Iohannem 1 Ep. 2, 4. ubi *γινώσκειν*, *εἶδεναι*, *ἀγαπᾶν Χριστὸν* i. q. *εἶναι ἐν Χριστῷ*, *μενεῖν ἐν αὐτῷ* est, adiungi disciplinae Christi. Iam in hac beata cognitione aliter fatetur se olim versatum esse, aliter nunc vivere. Ac antea coluit quidem nomen Christianum, verum *κατὰ σὰρκα*, non sic, ut terrestrem Messiam coleret, quod est a pietate Pauli alienum, nec ita, ut indulgeret simul vitiositati, quod rursus abhorret a sanctitate religionis; sed ita, puto, ut institutis Iudaismi teneretur; quod alias dicit *ἐν σαρκὶ εἶναι* Rom. 7, 5. *κατὰ σὰρκα ζῆν* Cap. 8, 4. *δουλεῦν ἐν ἀρχαιοτάτῃ γραμματὶ* Rom. 6, 7 v. Gal. 3, 2. Etenim sub novae religionis initia fuisse, qui adiungerent institutis Mosais Christiana atque utriusque disciplinae combinationem suaderent. Horum igitur aliquamdiu partes tenuit Apostolus: iam autem deseruit. Itaque moner: non iam *σάρξ* opinio de ritibus Iudaismi retinendis locum habet; nolo iam *γνώσιν Χριστοῦ* et *σὰρκα*, novam et veterem disciplinam coalescere: omnino abiicienda est vetus; *τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν*; novae societatis confors est, qui Iesum profiterur: itaque nemini adhuc familiares sumus (*γινώσκωμεν* ex usu hebraeo v. Pf. 55, 14.) Iudaicae religionis alumno, *ὅσοι θέλουσιν εὐπρωσώπῃσαι ἐν σαρκὶ* Gal. 6, 12. hos cognatos dicimus, qui
Chri-

Christianismi consortio copulantur, neque iam Iudaei sunt, nec profani, sed novi homines: horum unum omnium ius est et dignitas, liber ad Christum aditus Gal. 6, 14. 15. qui locus totus consulendus est, ut nostrae interpretationis veritas pateat. Imitabimur itaque Paulum, tum omissa Christianismum Iudaismo confociatione, tum publica et libera professione cultus novi, qui nihil habet cum Synagoga commune, nihilotamen secius, secundum ea, quae supra diximus, narrationem de vita Christi sanctissima salubrem conservat ac postulat.

Denique metuitur in tanta ingeniorum sive libidine, quae pingendis e vita Christi scenis artis et elegantiae laudem apud tenellos homines captat, sive tarditate, quae puerorum more narrationibus pulchris adhaereat atque non vult progredi ad sublimitatem doctrinae et πνευματος, ne per κακοζηλίαν quandam, etiam cum specie religionis, historiis abutantur et, quo magis plebecula traditionum est cupida et amica, eo facilius veritatem ipsam negligant. Hunc metum tantum abest, ut tanquam vanum et inanem rideamus vel etiam damnemus, ut potius gravem et iustum esse concedamus, praesertim apud nostros, quibus selecta narrationum capita ex Evangeliiis praescribuntur publicis orationibus declaranda. Qua lege fit, ut et concionatores copiosi sint in tractandis curiosis traditionibus, rari in doctrinae capitibus exponendis, et plebs magis historiarum studeat amoenitati ac facilitati, quae imaginationem decipit, quam rerum sublimitati, quae iudicium et attentionem postulant. Itaque declamationes, descriptiones, quaestiones, commentationes de loco nativitatis, de vera genealogia, utrum Lucas an Matthaeus illam conservavit? de magorum patria et religione ac muneribus, de caede infantum Bethlehemitarum, de fuga Christi in Aegyptum, de deserto, in quod tentatum venit, de miraculorum praestantia, de doloribus animi et corporis, et innumeris huius generis traditionibus audimus et legimus multas et severas, necum ieiunas et inanes: dum indicia veritatis et virtutis nutrimenta, quae latent in historia, minime produnt. Atque propter paucorum vitium et abusum nefas est universam narrationem seponere atque opprimere: nisi quis etiam omnem rationes usum malit in



in religione prohibere, quia fuere atque adhuc sunt, qui vane philosophando Christianam veritatem corrumpunt. Atque satis occurreret periculis, quae illi metuunt, prudentia theologorum, quae vitam Christi tum eo historiarum delectu tum eo modo describet, ut in ea non tam eventuum mirabilem, quam potius virtutis omnis theatrum esse intelligatur.

Restat, ut huius prudentiae *modum*, cuius exemplum in nuperis super vita Iesu scriptoribus habemus *Feddersenio* et *Toblero*, quorum alter infanti aetati egregie consuluit, alter pauca tantum capita illustravit, praescribamus: de quo, quia nobis copiosius aliquanto et definitius praecipendum erit, ac huius pagellae angustiis conceditur, alio tempore agemus, si quidem Numen annuerit.

Intelligitis, CIVES CARISSIMI, quo iure, quam pie et utiliter tractari debeat a cultoribus purioris doctrinae historia Iesu Servatoris, cuius primordia sunt in nativitate, humili quidem sed beneficia. Huius igitur memoriam tum maxime vobis commendamus, his diebus publica et privata religione usurpandam et exercendam. Atque in mera historia subsistant ingenia tenuia sibi que persuadeant, se rite et pie celebrare nativitatem Christi, si infantem recens natum cogitent a Maria, virgine, in oppido regio editum, ab angelis annunciatum a pastoribus in praesepio fasciorum involucris repertum. Vos, quos decet *πνευματι* Christum cognoscere, animum ad consilium nativitatis ac vitae eius et beneficia et cognoscenda et fruenda advertite. Hac cogitatione pura et assidua proprie Christus cognoscitur: nam novimus hominem non tum, cum figuram intuemur, sed cum animum. *Nescias* (utar *Melanchthonis*, gravissimi olim theologi, verbis) *in quem usum carnem induit Christus: quid proderit eius historiam novisse?* Eum igitur fructum ab interpretibus veritatis coelestis commonstratum atque laudatum, pro Vestro erga religionem studio discite atque ipsi meditatione Vestra pie contuemini.

P. P. die nativitatis Christi MDCCLXXXIII.

(L. S.)



IN DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DUX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-
VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS

Cum nostra aetate reperirentur, qui de historia Christi
universa exiliter sentirent existimarentque, in religione, ab-
jecta narrationum de vita Iesu simplicitate, rerum et veritatis
ratini obviae, sublimitate esse utendum, institutum nobis,
CIVES, superiore anno fuit, ne ea opinio, multis artibus dif-
feminata, averteret ab hac institutionis Christianae parte ani-
mos, demonstrare, quam minime consentaneum sit vel con-
silio scripturae sacrae et religionis nostrae vel pietati hominis
Christianae, negligere atque proscribere traditiones de vita
et rebus gestis servatoris, quae perspicuam et insignem ha-
beant cum virtute et fide coniunctionem. Sed in ea commen-
datione historiae Christi iusta et legitima facile praevidemus,
admoniti tum communi hominum imbecillitate et perversitate,
quae in causa etiam iustissima usuque legitimo raro modum
tenet nimirumque vel cum desipientia utendo rebus concessis
peccat,

